

Erant enim federati cum Romanis et subditi Romano imperio; similiter iussit castra movere. Cum autem ad partes Damasci magno labore accessisset, Norantinus ipsius civitatis dominus cum viris nobilibus, dimissis armis et flexis genibus, Iulio Cesari se obviam prebuit, et omnia que vellet ad voluntatem suam esse daturum et Romano imperio in omnibus satisfacere cupientes. His dictis cum exercitu suo ad civitatem perexit, ipsam quoque occupavit et sue magnitudini eam supposuit.

Et dum hec agerentur, Maximianus, vir nobilis et egregius super aliis regibus et viris nobilibus, totius Affrice excellentissimus, audiens de Cesaris adventu, iam¹ legatos viris nobilibus regibus et aliis viris prudentissimis totius Affrice misit, ut in colloquio apud Romencha cum eo [se²] adunare deberent. Qui cum in loco statuto *et in termino ordinato accessissent, *f. 33a. de eorum fuit consilio, ut, antequam Affrica subiugaretur et depopularetur, Romano imperio in omnibus deberent obedire. Cognoscentes fortunam Iulii Cesaris in omnibus prosperam fore. Hoc ita ordinato Maximianus et alii³ reges et viri nobiles Affrice proficisci festinaverunt, armis relictis et dimissis et togati⁴ indumentis pacis ad Iulii Cesaris presentiam accesserunt; qui decenter et egregie ab ipso fuerunt recepti. Cum ante Iulii Cesaris magnitudinem starent, universam Affricam sub Romano imperio subiecerunt et censum et omnia que vellet Romano prestare imperio promiserunt; fidem quoque eorum a Iulio Cesare receptam, universam Affricam subiugavit et censualem ipsam Romano imperio constituit et fecit. Affricam vero et viros nobiles totius Affrice in defensionem et protectionem Romani imperii suscepit. His omnibus ita gestis iter suum ad Acheron redire proposuit. Deinde amoto exercitu, magno labore anno uno transacto, postquam in Affrica intravit, ad Acheron conatus est accedere. Habito namque consilio a viris prudentibus, ad Romanam urbem redire proposuit et statim iussit naves per omnes illas partes colligere. Colectis vero undique navibus de mense Septembri cum omni exercitu suo cepit transmeare, de mense Martio veniente ad partes scilicet urbis Rome appropinquavit. Qui cum ad urbem accederet, ingenti gloria et nimio triumpho, ut de Romanorum imperatorum *est consuetudine, fuit receptus et in Capitolio ductus *f. 33b. et a viris nobilibus et ab illis, quibus concessum est, fuit coronatus et Romanorum imperator constitutus primo in Romana urbe.

Acta sunt hec omnia, postquam Iulius Cesar de Romana exivit civitate et ad² transmarinas partes suppeditandas perexit, annis undecim et mensibus tribus. In duodecimo vero anno ingenti gloria et nimio triumpho in Romana urbe fuit

1) 'nā' Hs. 2) Fehlt Hs. 3) 'maximus ylarii' Hs. Die Emendation ist zweifelhaft. 4) 'rogati' Hs.